

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Aduocati h
cum fonte primo

Miror namque quomodo religiose
aures tue audire sustinent huiusmodi
disputationes aduocatorum
et pugnas uerborum que magis
ad subuersionem quam ad inuentionem
proficiunt ueritatis.

Nichil enim ita absque labore ←
manifestam facit

ueritatem sicut breuis et pura narracio.
Precide ergo linguas uaniloquas
et labia dolosa clauda.

Hii sunt qui docuerunt linguas suas loqui
mendacium, disserti aduersus iusticiam,
erudit pro falsitate;
sapientes sunt ut faciant malum,
eloquentes ut impugnent uerum.

Bernardus ad Eugenium libro I. capitulo
IX.

→

Miror namque quemadmodum religiosae
aures tuae audire sustinent huiusmodi
disputationes advocatorum
et pugnas verborum, quae magis
ad subversionem quam ad inventionem
proficiunt ueritatis.

Corrige pravum morem et
praecide linguas vaniloquas,
et labia dolosa clauda.

Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui
mendacium, disserti adversus iustitiam,
erudit pro falsitate.

Sapientes sunt ut faciant malum,
eloquentes ut impugnent verum.

Hi sunt qui instruunt a quibus fuerant
instruendi, adstruunt non comperta, sed
sua; struunt de proprio calumnias
innocentiae, destruunt simplicitatem
veritatis, obstruunt iudicij vias.

Nihil ita absque labore
manifestam facit
veritatem, ut brevis et pura narratio.

Bernardus Claraeuallensis, *De
consideratione ad Eugenium*, 1.10.13
(SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M.
Rochais eds., p.408, ll.11-21).